



Irmenricus apud Boios eruditione & uita inno-
centia magni nominis extitit, sub rege Ludouico,
Anno Christi octingentesimo sexagesimo. Itaque
cum Bulgarorum oratores regem deprecaren-
tur, atque postularent, ut sacrarum literarum peri-
ti homines ad se mitterentur, qui Euangeli⁹ doctri-
nam publicarent, & Bulgaros Christianos effice-
rent, rex ipsis hunc Irmenricum cum alijs presbyte-
ris & diaconis obtulit. Itaque Bulgarorum gens in
Mœsijs habitans, abdicata multorum Deorum su-
perstitione, ad ouile Christi reducta fuit. Eodem
tempore & Auares & Hunni, qui in Dacia trans I-
strum infra Tibiscum, Mœsis tum oppositi, consi-
debant, atque Pannonia & Norico à Boijs sub Carolo Magno electi fuerant,
& in Venedorum nomen transferant, Ludouici regis opera Christi cultum
acceperunt. Hisce omnibus Irmenricus diligens adfuit, atque uerbo
& exemplo eos ad pietatem perduxit.
Auent, libro quarto,